fr. jan. alfonso
burgen. de medinasia

DE EVCHARISTIA DIALOGVS AD ILLVSTRISSIMVM D. D. Marchionem Comitemq; Benalcasar D. Emanuelem à Soto maior.

A. F. PETRO ALFONSO BVRGENSI Monacho, & Eremita montis Serrati editus.



Examinatus mãdato Reuerendissimi Inquisitoris.

BARCINONE

Apud Claudium Bornatium, in forti Aquila.

1562.

Ad illustrissimum

MARCHIONEM GIBRALEONIS, comitemque Benalcasar D. Emanuelẽ: frater Petrus Alfonsus Burgensis Eremita Montis serrati.

QVi istinc veniũt, tãta mihi de virtutibus tuis, tuæq; cõiugis narrãt, Marchio illustrißime, vt etiam si nolim, nõ poßum nõ tibi quoq; vel præcipue, opusculum quoddã quod de sacra Eucharistia in hoc cõdidi deserto, inscribere. Depinxi enim in eo eius mirificas laudes, quo fideliũ mentes, maximeq; tuã, in illius raperem desideriũ. Quis enim non desiderabit, vel ardentißimis votis verũ Christi corpus, quod pro nobis in cruce tradidit: reliquitq; in testimoniũ suæ erga nos flagrantißimæ charitatis? Fateor equidem (Deus enim sit laudatus in secula) non posse me vel vnum diem sine hoc trãsigere, ita me totũ sibi rapuit. Memini Augustinũ tertio cõfeßionum libro, dicere (loquitur enim cum Deo) Hoc nomen secundum misericordiam tuam, dñe, hoc nomẽ Saluatoris nostri filij tui in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum pie biberat, & alte retinebat. Et quicquid sine hoc nomine fuisset, quãuis literatum, & expolitum, & veridicum, nõ me totum rapiebat. Si sanctißimum illum episcopũ nomen solum Cap. 4.

A ij Sal

saluatoris ita affecit, quid faceret sacra ipsa Eucharistia, quæ bona gratia dicitur: quoniam fontem totius gratiæ in se continet: hoc est ipsummet saluatorem, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt recõditi? Et ideo dicebat de hoc sacratißimo corpore adhortans, Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sanctus Iob quotidie pro filijs offerebat sacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent: & tu audis, quod in sumptione huius sacramenti remittuntur peccata, & panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est peccatum: medicina, cœleste, & venerabile hoc sacramentum. Vnde magis deplorandi sunt nostri temporis Christiani, qui tam tardis molimimibus ad hunc sanctißimũ cibum accedunt, vt semel in anno sumpsisse, totam perfectionem Christianam se compleuisse existiment, cum in exordio nascẽtis ecclesiæ quotidie fideles in fractione panis legamus perseuerasse. Et multo amplius lamentandi, qui sine vlla præparatione, seu reuerentia, imo illotis (vt aiunt) manibus in tam grandia mysteria se ingerunt, cum Paulus dicat, Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui autẽ manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, nõ dijudicans corpus domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Hoc quidẽ tunc erat, modo quoq; si qui post sumptionem huius sacratißimi cibi inueniuntur infirmi, atq;

im

imbecilles non valentes resistere carni, & sanguini, neq; dæmonum tentamēta superare, sed velut pecudes vitam transigere, non aliūde sane est, nisi quia corpus dominicum non diiudicant, neq; ab alio quolibet cibo discernūt. Impœnitentes adeunt confeßionē: impœnitentes ad domini mensam, conuiuiumq; etiam angelicis spiritibus venerādum accedunt: impœnitentes perseuerāt: & demum diem obeunt extremum impœnitentes iudicium grauißimum subituri. Quare ne quis ignorātiam in modo sumptionis huius sacratißimi cibi prætēderet, iußit Deus in celebratione Phasæ, (quæ erat figura sacræ Eucharistiæ) sanguinem agni occisi super vtrumq; domus postē poni. Quid sit sanguis agni, nō iam audiendo (vt inquit Gregorius) sed bibēdo didicimus. Qui sanguis super vtrumq; postē ponitur, quādo nō solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroq; enim poste sanguis agni est positus, quādo sacramentum paßionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem intēta mente cogitatur. Qui etiā in superliminaribus domorū poni iubebatur. Quid domus nisi mēs nostra, in qua per cogitationem inhabitamus? Cuius domus superliminare est ipsa intentio, quæ actioni præeminet. Qui ergo intētionem cogitationis suæ ad imitationem dominicæ paßionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinē ponit. Iubebatur quoq;, ne quid ex agno crudum, aut aqua coctum sumeretur. Quid crudum agni nisi inconsiderata, & sine reuerentia de ipso cogitatio? Magna enim diligentia

consideradũ est, quis & quãtus sit, qui sumitur, ex quo fiet, vt ad illum debito modo accedatur. Vnde etiam mãdabat Deus, vt accinctis renibus, & ab habẽtibus calciamenta in pedibus, baculosq; in manibus, ac festinanter comederetur. Quæ omnia mystice animi puritatẽ, vitiorum mortificationem, cõmunis exilij cogitionẽ, cœlestisq; cibi desideriũ significant. Hæc enim sunt vera huius sacratißimi conuiuij præperamẽta. Quibus si præparemur, mensamq; hãc dominicã frequẽtamus, nõ dubium, quin fructus eius dulcißimos, multiplicesq; haud raro experiamur. Panis enim hic adauget gratiã: nouo ergo dono quoties sumemus locupletabimur. Mitigat tẽtationẽ: si ergo tẽtatione aliqua graui opprimimur, leuigabimur. Reprimit affectum mortalium: difficulter igitur animam cadere sinet in peccatum. Adducit ad vnionem deificam: ergo magnam adfert perfectionem. Purgat venialia: nõ igitur timeamus à purgatorio, vbi ea expiãtur. Terret dæmones: præcipuos ergo inimicos nostros nõ pauebimus. Illuminat intellectum: tenebras igitur infestißimas abigit, quæ maxime cruciãt animam. Trãsmittit ad visionem diuinã: qui est vltimus fructus, & perfecta beatitudo hominis Christiani. Quis igitur fructus hos, illustrißime Marchio, nõ desideret? Nõ quærat? Non amplexetur? Si aurum diligitur, quia lætificat cor hominis, & vitæ necessaria adquirit: cur non magis venerabile hoc sacramentum, quod animam, eiusq; affectus incredibili replet gaudio, vitæq; perennitatem consiliat? Si cibus

ama

amatur quia dulcis,corporiq; vires donat, atq; restaurat:cur non magis Eucharistia sacra, quæ omnem superat dulcedinem, & robur nō solum tribuit corpori, sed multo amplius ipsi animæ? Si honores aucupantur, quia decorant homines:cur nō magis Christus, qui in hoc mysterio sumitur, desiderabitur, qui est honor omnium sanctorum, atq; ipsorum quoq; angelorum splendor? Desideremus ergo, omnibusque votis expetamus quod & in hac vita nobis erit vtilißimum, & in futura beatum. At cum plerosque Christianorum plane vecordes, & velut exanimes erga hoc saluberrimum sacramentum cōsiderarem, decreui sub tua protectione libellum hunc in lucem edere, si forte hoc lecto, conualescant, & post hac Dei ope, feruentiores in hac re sese ostendant. Debitores enim sumus (inquit Paulus) & sapientibus, & insipiētibus. Et vnicuiq; mādatum est de proximo suo. Accipe ergo, amantißime Marchio, in sinum tuum hanc nostram lucubratiunculam: & si qui fuerint maleuoli, qui mordere audeant (figerūt enim dētem etiam in doctißimos quosq;) tu pro solita tua in me beneuolētia, defende, protege, atque excusa. Scio enim dicēt aliqui multos scripsisse de Eucharistia: tu responde ante Bernardum multos scripsisse de virgine Maria, & tamen post illos, & ipsum de eiusdem laudibus pulcherrima, atq; præclara ædidiße. Basiliū illum magnum doctißime scripsisse de virginitate, nihilominus alios quoq; multos post ipsum in eodem esse versatos certamine: non abreuiatam manum domini:

 diui

diuitem plane in omnes, qui inuocãt eum. Multa dixerunt veteres sancti de sacra Eucharistia, fateor equidem. Sed quis omnia, quæ de ea dicenda erant, vel edidit, vel adinuenit? Haurietis inquit Esaias aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Non ait nunc, vel tunc certum aliquod tempus denotãs, sed haurietis. Tãquã si dicat: Semper haurietis: quia semper fluit sacra Eucharistia. Fons enim est indeficiens neq; vnquàm exhauriri potest. Quemadmodũ diuersi sunt spiritus: sic etiam multiplices scribendi modi, etiam in eodem argumento, non tamen ingrati. Vt enim idem cibus diuersimode coquitur, & placet: sic etiam eadem res diuersimode tractatur & non displicet. Hæc sunt, quæ responderi possunt maleuolis: quãquàm huiusmodi homines (si homines dici merentur) non indigeant responsione, sed Dei verbere, vt vel sic bonorum studijs desistant obstrepere. Scripsi opusculum ad modum dialogi, tum quia iucundior, vtiliórq; est hic scribendi modus: tum quia in huiusmodi genere olim te versatum probe memini. Suscipe ergo opellam nostram animo beneuolo. Et dominus Iesus te seruet incolumen. Amen.

Dialogus de Euchariſtia

AD ILLVSTRISSIMVM D. D. Marchionem Gibraleonis, Comitemq; Benalcaſar D. Emanuelem à Soto maior.

ANIMA. IESVS.



NIMA. Bone Deus, quãta audiui ſæpe de ſacra Euchariſtia? Quàm magnum ſit donũ? Quàm vtile mortalibus? Sed multos plane habet nodos, eoſq; prorſus inexplicabiles. Quis eos nobis explicet? In hac vaſta ſolitudine nullus eſt inſtitutor, doctores ſacros non ſatis intelligo: niſi Ieſus Chriſtus adueniat, nulla mihi ſpes relinquitur. Veni ſponſe mi, Veni Ieſu Chriſte dulcis amator hominũ. Exhibe præſentiam tuam etiam nunc ancillæ tuæ. Ieſ. Quid detinet, quo minus vadam ad ſpõ-

ſam

ſam meam impleturus eius deſiderium? Iam diu precibus me interpellat. Ecce ſponſus tuus, quem vſq; adeo deſideras. Ani. O quàm oportune? Quæſo, domine, quoniam hæreſibus nunc plena ſunt omnia, & multi de ſacra Euchariſtia perperam iudicant, dic nobis quid de ea cenſeas: & quid de hæreticis, atq; bonorum morum, fideiq; corruptoribus erit futurum. Ieſ. Non meminiſti, filia, me aliquãdo prædixiſſe, cum venerit filius hominis, putas, inueniet fidem? Et rurſum inſurgent pſeudoprophetæ: & ſeducent multos? Hi Zuingliani, Oecolãpadianique ſunt, vt intelligas de quibus dixerim, lupi voraces, nec aliud quàm de deuorandis ouibus cogitant, membra Sathanę, & ſatellites Beemoth, qui die, noctuque inſidias contra inſontes moliuntur, quiq; cum principe ſuo Lucifero, vt leones ferociſsimi circumeunt, quærentes quem deuorent. Manus eorum, filia, plenæ ſunt ſanguine: & pedes eorum, ad malum feſtinant, quorum finis interitus, &

Matth. 24.

mer

merces ignis ſempiternus:cum principe enim ſuo,in ſtagnum ardentem conijciẽtur,perpetuo cruciandi, niſi reſipiſcant. Etenim contritio, & infœlicitas in vijs eorum,& viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum. Quorum maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo, ſub lingua eorũ labor & dolor. Verum mihi vindicta:& ego retribuam. Porro quod poſtulas, filia, de ſacra Euchariſtia:magnum ſacramentũ hoc,& charitatis meæ erga meos præcipuum iudicium, angelis venerandum,& qui eius delicias deguſtauerunt chariſsimum. Atqui ſacramẽtum baptiſmi, magnæ eſt virtutis, & venerationis pleniſsimum,vt pote totius ſalutis Chriſtianorum principiũ: vbi & anima à peccatis mundatur,& Deo pleniſsime recõciliatur,mihiq; ſpõſo ſuo,& eccleſiæ copulatur.Magnum quoque ſacramentum cõfirmationis,vbi milites mei, noua gratia fortificantur,& contra hoſtium inſultus, eorundemq; formidinẽ corroborãtur. Confirmatio.

Confeſsio. tur. Magna etiam res, & omni acceptione dignißima, ſacramentum pœnitẽtiæ, in quo velut in ſecunda tabula, naufragi, hoc eſt qui per peccatum paſsi ſunt naufragium, eriguntur: & tanquàm ad portũ ſalutis perducuntur: vbi anima adultera, rurſum ad ſponſum ſuum reuertitur, atq; illi per pœnitentiam, clauiumq; virtutem reconciliatur.

Matrimonium. Sacramẽtum quoq; matrimonij venerandũ prorſus, & humano generi vtilißimũ. Repræſentat enim cõnubium ſanctißimũ Dei cũ eccleſia, humanãq; ſpeciẽ, ne prorſus intereat pie cõſeruat.

Vnctio extrema. Itẽ ſacramẽtũ extremę vnctionis, venerabile cõtra humanę fragilitatis delicta medicamentũ, quod ad animæ maculas leuiores detergẽdas, eſt inſtitutum.

Euchariſtia. Verũ in hoc, filia, ſacramẽtum Euchariſtiæ præ cæteris habet excellentiã, quoniã reliqua conferunt gratiã, hoc aũt gratiæ auctorẽ: quod & in ipſo Euchariſtiæ nomine, deprehendere licet, ſi diſcutiatur, Nã Euchariſtia bonã gratiã ſignificat: cur bonã gratiã? Niſi quia qcquid

qđ eſt gratiarũ in ſe cõplectitur? Habet eñ omnis gratiæ auctorem, in quo ſunt oẽs theſauri ſapiẽtię, & ſciẽtię Dei abſcõditi, cur ergo non bona gratia dicatur? Ani. Admirabilis eſt locus iſte: Et quis illum intelligat? Obſecro, domine, declara hanc rem nobis dilucidius. Ieſ. Sacramẽtum hoc multis nominibus appellatur: Aliquãdo enim (vt diximus) Eucharistia dicitur id eſt bona gratia, quoniam me cõtinet fontem gratię & totius boni originẽ: Aliquãdo ſacrificium nũcupatur: Patri enim meo, in memoriã paſsionis meæ offertur, pro delinquentiũ recõciliatione: aliquãdo etiam appellatur cõmunio, qa eſt ſignũ vnitatis eccleſiæ demoſtratiuum: Aliquãdo rurſum dicitur viaticũ, quoniã de hac vita, ad me tranſeuntibus exhibetur. Vnũ ſacramẽtum, tria in ſe cõtinet, ſpeciem viſibilem, corpus meum verum, & eccleſiam. Anima. Stupeo, plane, quãdo rẽ hanc admirabilem mecũ cogito. Nũqđ nõ tu, bone Ieſu, maior, paruula particula ſpeciei panis

Euchariſtia multis nõib᷒ appellatur.

ſub

ſub qua contineris? aut rem prorſus impoſsibilem narras, aut ediſſere nobis myſterium. Iel. Omnipotenti Deo, nihil eſt impoſsibile, filia. Quod infirmitati hominum durum videtur, & infactibile, mihi valde facile eſt. Res hæc altiſsima, & omne hominum ingenium traſcẽdens: Mons eſt, ad quem qui temere accedere

Ex. 19. præſumpſerit, lapidibus obruetur, aut ſagittis tranſfigetur. Nunquàm legiſti, qui

Prouer. 25. ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria? Sacramentum hoc plenũ eſt maieſtate, & angelis, & hominibus prorſus impenetrabile: vbi & ſenſus deficit, & ingenium ſilet. Quo magis hæretici, omni ſupplicio digni ſunt, quia in ſuo ſenſu nimiũ abundantes, proprijs viribus, ſophiſticiſq; argumentis illud ſubijciunt, lacerant, & ridẽt. Inter quos Oecolãpadius, Zuinglius, & Caroloſtadius principatũ tenẽt, qui ideo nõ credunt, quia non capiunt. Accingimini ergo ſicut viri lumbos veſtros, interrogabo vos. Et reſpondete mihi, vbi eratis quando ponebam

funda

fundamenta terræ:iudicate mihi,ſi habe Iob.38.
tis intelligentiam? Quis poſuit menſuras eius ſi noſtis? Vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes eius ſolidatę ſunt? Quis concluſit oſtijs mare quando erumpebat, quaſi de vulua procedēs cum ponerem nubem veſtimētum eius, & caligine illud quaſi pānis infantiæ obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectē, & oſtia, & dixi vſq; huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Nunquid ingreſsi eſtis profundum maris, & in nouiſsimis abyſsi deambulaſtis? Nunquid apertę ſunt vobis portę mortis, & oſtia tenebroſa vidiſtis? Nunquid conſideraſtis latitudinem terræ? Iudicate mihi ſi noſtis omnia? In qua via; lux habitat: & tenebrarum quis locus ſit? Vt ducatis vnumquodq; ad terminos ſuos: & intelligatis ſemitas domus eius? Sciebatis tūc ꝙ naſcituri eratis: & numerum dierum veſtrorū noueratis? Quis eſt pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris?

Quis posuit in visceribus hominis sapiẽtiam: vel quis dedit gallo intelligentiã? Quis narrabit cœlorum rationẽ:& concẽtum cœli quis dormire facit? Nũquid nõ ego omnipotẽs sum,& quod volo facit brachium meũ? Hæc dicetis, nõ intelligimus, non capimus. Transgrediuntur enim modicitatem intelligentiæ nostrę. Bene dixistis nũc Oecolampadi, Zuingli,& Carolostadi. Cur ergo in hoc sacramẽto impingitis cum illud nõ capiatis? Quid hæretis? Cur dubitatis? Nunquid nõ est opus meum hoc? Ego dixi fiãt, & facta sunt omnia. Dixi quoq; ab hac vita ád patrem trãsiturus discipulis meis, me relinquere volẽs illis in solatiũ accipiens in manibus panẽ: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quid ni ergo panis in meum corpus cõuertetur? Dixi fiat lux,& facta est lux. Fiat firmamẽtũ, & factum est ita. Verbum enim meum omnia potest:& nil resistit volũtati eius: cur in hac re debile inueniatur? Porro magi, dæmonum ministri virgas in dra-

cones

cones mutauere, & Deus omniũ rerum Exo.7.
auctor panem in corpus suũ mutare nõ poterit? Malefici Pharaonis, mutarunt aquam in sanguinem,& creditis: Et dominus omnium, vertit panis substãtiam, in seipsum,& hæretis? Totum terrarum orbem,& quicquid cœli ambitu continetur, creaui ex nihilo: & annuitis,& panem in corpus meum trãssubstãtiaui: Et dicitis nequaq̃. Quid facilius ex aliquo, an ex nihilo aliquid facere? Nõne ex aliquo? Si cæteris mirabilibus meis assentitis, cur huic operi meo subscribere refugitis? Num forte quia Christum dominum, sub tam humilibus speciebus contineri, indignum censetis? Iam non potentiam negatis, sed indignitatem horretis. Audite hæretici, resipiscite stolidi: humiliamini superbi: redite tandem ad cor præuaricatores impudentissimi. Desinite, Desinite iam iugulare animas innocẽtes: ecce sanguis fratrum vestrorũ quos ad tartara delegastis, clamat ad me, vindica domine. Adhuc tamen ad salutem re-

Exo.7. (beside line 4)

dire licebit, si velitis: Adhuc veniæ locus est, si pœnitētiā egeritis, Audite nūc, & verba mea humiliter excipite. Nunqd humilitatem, appellatis indignitatē? Aut benignitatem amabilem, vtilitatem contemptibilē vocatis? Nūquid charitatem nimiam, abhorretis velut abiectionem dedecorosam, aut amorem meum incōprehensibilem erga genus humanū vos contemnēdum iudicatis? Scio, hæretici,
1.Cor.2. scio vnde hæc procedūt. Animalis homo nō capit, quæ Dei sunt: spiritualis dijudicat omnia. Nemo potest duobus do-
Matt.3. minis seruire Deo, & Mămonæ. Quæ cōuētio lucis, ad tenebras? Luciferū imitamini, qui finē bonorū in superbia constituit: eiusque dogma renouātes, clamatis: Ascēdamus in cœlum, supra astra Dei e-
Esa.14. leuemus solium nostrū, & erimus similes altissimo. Et tales cum sitis tamen de mysterijs, sacramētisq; meis, illotis manibus tractare præsumitis, quæ non nisi ab humilibus simplicibus, mūdisq; corde intelligūtur. Expurgate ergo vetus fermē-

tũ, exuite primũ veterẽ hominẽ: abijcite veſtimẽtum veſtrũ antiquũ ſanguine multo inquinatũ, hominemq; nouũ induite, qui ſecũdum Deum creatus ſit, in ſanctitate, & veritate: & ſic poteritis intelligere verbũ, & myſteriũ inueſtigare. Auſcultate ergo nũc quę dicẽtur, & veritati, ratiõiq; aurẽ accõmodate. Enimuero nihil ęque diuinę naturę cõuenit, q̃ bonitas, benignitas, munificẽtia, atq; humanitas. Quę quãto latior, atq; anguſtior tãto ſublimior, atq; pfectior. Et hæc ſola effecit, vt & angelũ creare & hominẽ cæteraq; formarẽ viſibilia, atq; inuiſibilia: cũq; ſummũ bonũ in cognitiõe, fruitiõeq; mei cõſiſteret, cõdidi creaturã rationis capacem, vt omnipotentiã, bonitatemq; meã cognoſceret, cognoſcẽdo amaret, amãdo poſsideret, poſsidẽdo frueretur, fieretq; fœlici fruitione beata. Atqui huius gratia, vniuerſam hãc mundi machinã fabricaui: cœlũ ſtellis lucidiſsimis ornaui, ſolis, lunęq; claritate illuſtraui: aera volatilib9 diuerſi gñis adimpleui: Aquas

innumerabili pisciũ multitudine decoraui: Terram autem floribus pulcherrimis, atq; odoriferis, arboribus fructiferis, atq; dulcissimis, herbis medicinalibus, ac postremo omnis generis animãtibus, honestaui. Omnia hæc hominum potestati subieci: feciq; illum & vniuersitatis dominum, & angelorũ conciuẽ, & diuinitatis meę capacem. Sed & post paululum cecidit in peccatũ, cõfractus est, cõminutus est, perdita dignitate eius & corona capitis eius misere fœdata. In bonitatis meæ cognitione omnis fœlicitas eius sita fuerat, qua deperdita, miserrimus factus est, & nimiũ infœlix, ignorãtiæ tenebris obuolutus, & velut ouis errabũda, per deuia, & incerta depascẽs: cumq; nullus esset qui adiuuaret, tantæ calamitatis eius misertus descẽdi de cœlo, ingressus sum virginis vterum: indui humanitatem, infantibus omnibus me submisi, inedia, sitiq; laboraui, hyemem, atq; æstatem tolleraui, vicos, ac villas ciuitatesq; prædicando circuiui, hominũ

per

peruerſorum iniurias ſuſtuli, dæmonum inſultus paſſus ſum, inter hæc verbis, atq; exemplis homines vitæ ſemitas docui: infirmitatũ omne genus curaui, dæmones à corporibus expuli, alijſq; multis miraculis, me Deum eſſe probaui. Denique quo patri meo pro hominum culpa ſatisfacerem, me capi, ligari, cædi, conſpui, ſpinis coronari, crucifigi, & poſtremo interimi à ſceleratis permiſi, atq; hoc pacto hominem patri meo cœleſti reconciliaui, erexi, in priſtinum ſtatum reſtitui, bonitatis mee cognitionẽ illi ingeſsi charitatem meam nimiam erga eum ſibi oſtẽdi. Nunquid in his omnibus, aliquid diuinitate mea indignũ? Dices minime, cur ergo ꝙ me in eſcam animæ tradidi indignum iudicas? Nõ indignum dicis, diſcerpi, lacerari, excarnificari, derideri, baſphemari, ac occidi, & indignum clamas pro ſalute animæ, ſub panis ſpecie, in cibum dari? Quæ hic indignitas eſt? Bonitas eſt Oecolampadi, non indignitas, mãſuetudo incomparabilis, non vi-

litas:largitas plena ſuauitate, & amore, nõ abiectio deſpicabilis. Nã hic manducor à fidelibus,& nõ laceror,bibor,& minime mutor,cũ manibus attrector, mortaliq; corpori cõiungor, nullũ detrimẽtum diuinitatis, humanitatiſq; meæ patior. Olim nõ dedignatus ſum pro ſalute hominũ carnẽ miſeram induere,& miſerijs eorũ,atq; neceſsitatibus ſubijci:dedi quoq; me pro illis in preciũ,diuinitatẽq; meam in pręmium mortalibus tradidi:ſi aũt etiam me in eſcâ dedi,quo ineffabilis bonitas mea,atq; liberalitas cognoſcatur amplexetur,atq; ab omnibus veneretur: quid hãc rem tanquã indignã abhorres? deſpicis?atq; irrides?Magis vero torpor tuus grauiſsimus,& omnibus ſeculis deplorãdus tantæ dignationis meę,atq; beneuolẽtiæ cõtemplatiõe decedere deberet, duritia mẽtis tuæ admodum dolẽda molliri,tãta deniq; animæ frigiditas calefieri. Dñs Deus tuus ſe cibum facit, ſe tibi temperat,& quaſi tãtæ ſuæ maieſtatis oblitus, ſe tibi homuntioni, mortali,

&

& peccatis onusto, offert in escã, vt cum in os tuum imponas, deglutias, & in stomachũ conijcias: & tu nõ humiliter stupes? Non amore excedis? Nõ tantam dignationem, humilitatẽ, mãsuetudinem, humanitatem, veneraris? Non gaudes? non exultas? non iubilas? non clamas? non laudas? non adoras? At dices, nec potentiam nego, nec Christum sub panis, viniq; speciebus latere indignum iudico: sed ipsum hoc quod de hoc sacramento asseritur, nunquàm vel fecisse vel facere decreuisse, contendo. Ipse enim ait spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquàm: si non prodest quicquàm, quid ergo facit sub sacramẽto? O hominem literarum? In hoc quidem bene spiritus est qui viuificat, cæterum caro nõ prodest quicquã: ergo non est sub sacramento, hæretica conclusio, peruersissimũ dogma, & perniciosa doctrina. Nam cũ de hoc saluberrimo corporis, & sanguinis mei sacramento agerem, diceremq; nisi mãducaueritis car- Ioa. 6.

nem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & quibusdam verbum hoc nō capientibus ac dicētibus, durus est sermo iste, respōdi spiritus est qui viuificat, caro nō prodeste quicquàm. Existimabāt enim carnem meam velut alicuius occisi pecoris esse masticandā, sanguinemq; meū, hoc eodem pacto esse bibēdum: sic autem verum habet dictum meum, caro nō prodest quicquā. Nam cum sub hac salutari hostia, à fidelibus comedor, nō immutor cumq; in stomachū conijcior nullum diuinitatis, aut humanitatis meæ detrimētum patior. Ego enim Deus sum: & quēadmodum quātum ad diuinitatem, semper vbiq; sum totus, & in qualibet parte totus, sic & hic quoad diuinitatem, & humanitatem totus sum, in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ inuisibilis, atq; incōprehēsibilis, siletq; intellectus humanus in hac re, quātumuis sublimis: solaq; fides mysteriū hoc attingit: & hoc modo caro mea à fidelibus sumptà; prodest

deſt multũ. Nam peccata extinguit, Deo reconciliat, fidem, ſpem, charitatemque adauget, deniq; quicquid eſt virtutis, quicquid boni (vt latius infra dicam) humilibus, ſimplicibuſq; largitur. Si nullibi caro mea prodeſt (vt tua propoſitio cõtinet) ergo nõ profuit aſſumpta, fruſtra verberibus afflicta, fruſtra cruci affixa, fruſtra ad dexteram Dei collocata. Nũquid non Paulus inquit Chriſtus factus eſt obediens patri vſq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomẽ, ſuper omne nomen? Ergo propter paſsionem exaltatus eſt, ſed hãc nõ ſuſtinuit in diuinitate, ſed in carne. Ergo caro prodeſt, hæretice. At alius egregius nugator, & pulcher doctorum meorum interpres, adducit Auguſtinum, in peſtilẽtiſsimi dogmatis ſui teſtimonium, dicens: vt cũ exteriori maieſtate appareat velut promiſit. Auguſtinus inquit: donec finiatur ſeculum, ſurſum eſt dominus: ſi vſq; ad cõſumationem ſeculi, ergo non eſt ſub ſacramento. O hominem

Philip. 2.

Alia hæreſis.

inep

Cõfutatio. ineptum? O theologũ indoctum? Quis te ludificauit hęretice vt sine literis, dogma peruersum audeas contexere? Quis te fascinauit, vt tam impudẽter, tãquam imprudenter, atque ignoranter, de mysterijs sacris, in grauissimum iudicium tuũ, audeas garrire? Inimicus homo hoc fecit: Diabolus hostis tuus acerrimus, qui tuum se amicũ simulat, hãc rem pessimam fabricauit. Repelle ergo inimicũ tuum ferocissimum, crudelissimumque hostem: & admitte tandem amicum tuum, qui te creauit, redemit, sanguinemq; proprium pro salute tua fudit, & saluare desiderat. Donec finiatur seculum sursum est dominus. Bene dixit Augustinus: Ergo in sacramento non est: male conclusit hæreticus: Et non sensit hoc Augustinus: alioquin cur (de hac saluberrima manducatione multa differẽs) ait. Hoc ergo totum, ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnẽ Christi, & sanguinem non edamus tantum in sacramento, quod & multi mali, sed vsque ad spiritus

ritus participationem manducemus, & bibamus, vt in domini corpore, tãquàm membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur, & non ſcandalizemur, etiam ſi multi modo nobiſcum manducant, & bibunt temporaliter ſacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Modo enim corpus Chriſti mixtum eſt, tanquã arca, ſed nouit dominus, qui ſunt ſui. Chriſtus eſt in cœlo, hæretice, & Chriſtus eſt in hoſtia, & in qualibet hoſtiæ particula. Et ſi vno inſtãti tot hoſtiæ cõſecrarentur, quot continere valet mundus, vbique Chriſtus eſſet, vno tempore, & diuerſis in locis, ſic autem verum eſt, quòd Chriſtus eſt in cœlo, & eodem tempore eſt in hoſtia: Nam non deſinit eſſe in cœlo, quànuis ſit ſub ſacramẽto: ſed prolatis verbis ſacramentibus, cedit ſubſtantia panis Chriſto, qui deinceps ſub ſacramento continetur, donec ſpecies digerantur in ſtomacho. Hoc habet myſterium huius ſacramenti. Hoc omnes ab exordio naſcẽtis eccleſię doctores

res catholici cum doctiſsimi, cũ ſanctiſſimi tenuerunt, ſcripſerunt, & publicarunt. Zuinglius autem, Caroloſtadius, & Oecolampadius nõ credunt, imo ridẽt, ſubſannãt, blaſphemãt, quia non capiũt: cum ridiculum ſit quicquid habet religio Christiana, ex intellectu velle metiri, non ex fide. De cæteris autem eorum perniciofiſsimis dogmatibus ſileo, quoniam adeo ridicula, & puerilia ſunt, vt reſponſionem non mereantur. Hoc tamen eos omnes admonitos volo, vt diẽ ſalutis, & tempus acceptabile, quod nũc eſt, nõ cõtemnant. Nam erit, quãdo non poterunt pœnitere, etiam ſi velint, cum æternis flammis inuoluebuntur. Vnum tãtum adhuc in medium proferam, quo eorum dementia amplius pateat. Ait hæreticus: Panis non fit melior per hoc anhelare ſacerdotũ: vnde ſacerdotibus hęc poteſtas? Nõ eſt hic panis, hæretice, poſt quã ſacerdos verba ſacramẽtalia protulit, ſed corpus meum verum ſub ſpeciebus panis. Deinde à Christo eſt hæc poteſtas

Alia obiectio.

Reſponſio.

teſtas

testas. Nunquid non ego dixi: Hoc quotiescūque feceritis in meam memoriam facietis? Relatiuū hoc, quo respicit? Nōne ad hoc ego feci? Sed ego trāsubstantiaui substātiam panis in corpus meum, ergo eandem potestatem sacerdotibus tradidi. Quid clarius hoc? Sed audi Paulum & quid dicit? Calix benedictionis cui benedicimus, nōne cōmunicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nōne participatio corporis domini est? Omnia hæc verba, quid aliud sonant, quàm potestatē sacerdotum super hoc pane? Panis quem frangimus, iā non frangit Christus, ergo sacerdos, cuius potestate? Christi. Quomodo hoc probas? Hoc quotiescūq; feceritis, in meam memoriam. Item: nōne participatio corporis Christi est? Ergo iam non panis, sed corpus Christi. Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Ergo non iam vinū, sed verus Christi sanguis. Quid dilucidius? Ecce ergo vnde potestas sacerdotū: & non per eo-

Luc. 22.

1. Cor. 10.

rum anhelare, panis fit melior, sed virtute verborum Dei, substantia panis discedit, cui verum Christi corpus, pro fidelium spirituali profectu, gaudio, & consolatiōe succedit. Quid igitur restat, nisi vt hæreticus tandem iam fiat fidelis, conuertaturq; ad dominum, & miserebitur eius, antequàm flãmæ tartareæ voracissimæ eum deuorent. Misereor tui frater, vt olim Iudę misertus sum: De illo enim dixi: filius hominis tradetur, sed ve illi, per quē tradetur, melius esset, quòd nō esset natus homo ille. Et tu tradis Christum in saluberrimo corporis, & sanguinis sui sacramento. Rides eum, blasphemas eum, flagellas eũ, spinea corona pungis eum, clauis durissimis perforas eum, denique crucifigis eum, mortiq; turpissimę quotidie tradis eum: & in membris eius (qui sunt fideles) eum crudelissime laceras. Ve ergo tibi: Melius esset, quòd non esset natus homo ille, per quem hęc omnia mala contingunt. Resipisce ergo, frater, Resipisce. Ecce ego sum saluator

tuus, frater, & amicus tuus, qui te redemi sanguine proprio: & dedi animã meam in mortem, vt tuam viuificarem. Reuertere ergo, Reuertere ad matrem tuam sanctorum ecclesiam. Paratus enim sum adhuc mori pro te, modo tu me recipias. Nolo certe mortem peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat. Quod vero dictum meũ interpretaris: *Hoc est corpus meum*: id est figura corporis mei. Praua expositio hæc, perniciosa, & a genuino sensu exorbitans. Nunquid non ego dixi caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus? Nunquid non verbum meum manet in æternum? Aut forte corrigere factum meum tu vis? Si ego dixi vere, cur tu nodum in scirpo quæris? Et veritati collum subijcere refugis? Miserere potius animæ tuæ: aut si tam insatiabili odio tuã prosequeris, aliorum tam crudeliter interimere pertimesce, sed de his vobiscum satis, o hæretici, iudiciũ terribile vos expectat, nisi ad mẽtem redeatis. Reuertor nunc ad filiam

Alia obiectio.

Responsio. Ioan. 6.

meam

meam,ab ea enim iam dudum digressus sum,vtinam vtiliter. Ausculta,filia, sacra mētum hoc admirabile, fructusque eius dulcissimos aduerte,varij enim sunt,pretiosi,atq; suauissimi. Nec te hæreticorū dogmata peruersa conturbent: Audi potius patres tuos prophetas,q̃ spiritu meo afflati,falli nō poterant,nec fallere. Audi inquã quæ de hoc saluberrimo sacramento oracula protulerūt.Dauid in spiritu, admirãs inquit:Panem angelorum manducauit homo, de hoc cibo pulchre
Exod.16. vaticinãs. Mãna de cœlo filijs Israel missum,huius quoq; sacramenti figura fuit. Omnem enim delectationem, omnéq; saporem in se habebat.Hoc quoq; sacramētum,quicquid potest delectare complectitur: Deus enim est, qui est omnia in omnibus. Rursum donum hoc incōparabile Dauid longe ante prȩuidēs,di-
Psal.110. cebat:Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator dominus, escam dedit timentibus se. Helias perse-
3.Reg.19. cutionem fugiens, sub capite suo subci-

neritium

neritium panem inuenit, in cuius virtute ambulauit vſque ad montem Dei Oreb. Panis ſubcineritius tantæ virtutis, num aliud, quàm panem hunc ſanctum præfigurauit? qui nō tantum ad iter dierum quadraginta fortitudinē præſtat, ſed per totum huius vitæ tempus contra hoſtes fortiſsimos, robur, animũq; ſuppeditat. Moyſes percuſsit petram virga, & fluxerunt aquæ abundantiſsimę, quæ etiam cunctis hominibus, ibi exiſtentibus, ſufficere poterant. Figura vtiq; præſentis negotij: virga enim verbum meum ſignificabat, quod admodum virgę nōnunquã & per ſeueritatem ferit, & nuſquàm non rectitudinem obtinet. Ego ergo percuſsi panem verbo, illumq; in carnem meam conuerti, manaueruntq; aquæ gratiæ abundantiſsimę, atq; per vniuerſum orbē largiſsimę inundauerunt. Poſt hæc nunquid non ad hunc ſaluberrimum cibum potumq; ſuauiſsimum Salomon fideles inuitauit in ſpiritu clamans: comedite amici mei, & bibite, & inebriamini cha-

Num. 20.

Figura.



rifsimi? Amici illi nuncupantur, qui diuinij timoris lege conſtricti, conditoris ſui conantur obtemperare mandatis: Aliena non ambiunt, ſobrie vtuntur conceſsis, miſerentur cum hylaritate, atque cœleſtibus terrena poſtponunt: chariſsimi vero ſunt, qui ſpreto ſeculo, calcatis terrenis illecebris, toto mentis annixu, perfectionis itinera gradientes, cœleſtis ſponſi caſtis fruuntur amplexibus. Hi internis delicijs abundantes, doniſque ſpiritus locupletiores quàm primi, charitatis dulcedine ſæpiſsime inebriantur, dum ſacramenti copula ſponſo ſunt cõiuncti. Porro vberrimos huius ſacramẽti fructus præuidit Moyſes, quando annuntians dicebat, conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, & hircum cũ medulla tritici, & ſanguinem vuę biberet meraciſsimũ. Atqui numeroſitatem maximam Chriſtianæ plebis, & potiſsimũ ſacerdotum, diuinis ſacramentis abuſuram eſſe prænoſcens, præuaricationem eorũ ſubintulit,

Deut. 32.

tulit, dicens: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem, suum: & recessit à Deo salutari suo. Item egressuri filij Israel de Aegypto, præcepi vt phase celebrarent occiso agno anniculo sine macula, igniq; assato, de cuius sanguine, vtrũque domorum suarũ postem linirent, ne percutiente angelo primogenita Aegyptiorũ, simul & ipsi interirent. Nunquid non omnia illis in figura contigere: & vniuersa hæc vmbra fuere futurorum? Quis vero agnus est anniculus, & sine macula, nisi ego saluator tuus: Cui Ioannes testimonium perhibuit dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Ego quoque acerrimo passionis igne, in cruce assatus fui, totumq; sanguinem meum fudi pro vestra salute, eumque ante mortem vobis in potum suauissimũ tradidi. Agnum ergo hunc cum festinatione manducas, qñ charitatis adusta incẽdio, ipsum spirituali, atq; sacramẽtali comestiõe pcipis.

Exo. 12. Figura.

Neq; tibi percussor angelus nocebit, si agni istius fueris saginata edulio. Protegent enim te sancta mysteria, & inter medios seculi fluctus, ante mystici Pharaonis faciem gradieris illęsa, illumq; in intellectuali pelago suffocatum aspicies constituta in littore. Deinde rubus ardēs & nō comburens, quem vidit Moyses, nunquid non etiam figura huius sacramenti extitit? Ego enim rubus sum, spinosus indigne me sumentibus. Quicūq; etenim ad cœlestem hūc cibum cū peccati cōscientia accesserit, & temere corpus dominicum manducauerit, horrendum iudiciū hauriet, non diiudicans corpus domini, æternisq; flammis commēdabitur, perpetuo cōburendus, ne iterū quod venerandum fuerat, nefandissime irrideat. Recte ideo etiā rubus dici possum, quoniam paruus sum propter humilitatem, & niger propter opprobriū. Humiliaui em̄ memetipsum vsq; ad mortē mortē aūt crucis. Denigratus etiā sum in domo illorum, qui diligebant me, &

Exod. 3. Figura.

abiectio plebis effectus. Nunquid nõ ergo bene rubus appellor, ſpinoſus, humilis, & niger? Atqui ardebat rubus, & non comburebatur. Tanta vtiq; amoris flãma pro hominum ſalute ardebam, vt me in pretium, præmium, & cibũ illis traderem. Tanti quippe amoris eſt hoc ſacramentum, filia, qui ſi ab hominũ mẽtibus ſentiretur fragilitas humana nequaquã tolleraret. Totus nimirum hic cõtineor, qui Seraphicos ſpiritus facibus ardẽtiſsimis charitatis adimpleo, & vniuerſas Angelorum mẽtes ardentiſsimo amore incendo. Prophetæ olim angelos ferre non poterant, & dominum Angelorum, huius ſacramenti frequentatores tollerare valebunt? Solis viuacitatem acies mentis non ſuffert, & ſi radios meos ingentis vigoris, infinitæq; virtutis, in hoc myſterio oſtendero, modicitas humana tollerabit? Scintillulam amoris mei vix ſuffert homo mortalis, & pelagũ, abyſſumq; charitatis huius ſacramenti ſuſtinebit? Ardeo ergo in me ipſo, & nõ cõ-



buro ſumentes, vtiq; ſub panis, viniquē ſpeciebus, modicitati eorum me temperans. Ani. O res admirabilis, laudabilis, & amabilis: quæ natio vnquā tam grandis, quæ ſic Deos ſuos habuit propitios, ſicut nobis eſt Deus noſter? Inter tot, tãtaq; in hominum genus collata beneficia, vnum deerat, quod tu quidem libēter expleſti, clementiſsime domine. Di-
Eſa.1. xiſti enim ſacrificia veſtra, & holocauſtomata antiqua abhorret anima mea: deerat ergo ſacrificiū maieſtate tua dignum. Munus acceptum, donumq; acceptabile, & donatiuum delectabile non erat, ſuccurriſti ergo neceſsitati noſtræ. Dediſti enim te nobis in ſacrificiū Deo patri tuo gratiſsimum, angelis venerandū, & hominibus ſaluberrimū, viuis vtiliſsimū, & in te dormientibus refrigeratiuū, atq; deſiderabile. Daturus te nobis eras in pretium. Et in præmiū: ſed prius voluiſti te nobis dare in edulium. Quid hoc myſterij eſt? Magnū prorſus, & nullis retro ſeculi temporibus auditum, plenum

nũ maieſtate,& veneratiõe digniſsimũ, amãdum valde, quoniam charitate vndiq; redũdans. Nempe edi voluiſti,dulcis Ieſu,familiaritatem tuam, benignitatemq; incomparabilem oſtendens, gratiæ quoque ſpiritualis augmentum, animęq; ex hac ſaluberrima corporis & ſanguinis tui communicatione vitam demonſtrans. Voluiſti manibus,palato, ac lingua tractari,humilitatem tuã inenarrabilem ſignificans,ac deniq; manducari voluiſti,deſiderium,famemq; qua deſiderari debet,omnibus innoteſcens,ſed antequàm te nobis dares in pretium,dediſti in eſcam, nimirum gaudium incõparabile,deſiderium inexplicabile,& voluntatem promptiſmam, qua id facturus eras cunctis oſtendens. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & quàm in inueſtigabiles viæ eius. Recte tu quidem dulcis,Ieſu, olim dixiſti,Nunquid viæ meæ, ſicut viæ veſtræ? aut cogitationes meę ſicut cogitationes

Quare edi voluit dñs Ieſus.

Rom 11.

Eſa.55.

vestræ? Quia sicut exaltantur cœli à terra sic exaltatę sunt vię meę à vijs vestris? Et cogitationes meæ à cogitationibus vestris? Obsecro, domine, quando solis presbyteris negotium hoc grande cõmisisti, quales debent esse, qui sacramẽtum hoc omnibus modis venerandum, sunt tractaturi, celebraturi, cæterisq; traditu-ri. Ies. Bene interrogasti, filia. Nam multi sunt, qui officiũ hoc sibi vsurpãtes, multis modis eo abutuntur. Non enim inuitantur, & ad nuptias accurrunt: Nõ sunt digni tanto munere, & se dignos existimant. Ego eos non noui, & nomen meũ coram populo gestant gloriosi. Ego eos spreui, & ipsi tãquàm familiaritate, atq; amicitia mea dignissimi omnibus se ostẽtant. Ego angeliq; mei eos subsannamus, & illi populi intercessores sanctissimos se clamitant. Non portant vestẽ nuptialem, & cum inuitatis sedere præsumunt. Hi omnes, filia, fures sunt, & latrones nũcupandi. Non enim per ostium intrauerunt. Ostium autem ad dignitates, voca-

Quales debent esse sacerdotes.

tio

tio mea, est non eorum ingestio. Quos dignos iudico, cogo, & inuitos pertraho. Porro sacerdotem oportet sanctum esse, inpollutum, segregatum à peccatoribus, mysteriorum meorum non ignorantem, altissimarum rerum contemplationi deditum, sacræ lectioni vacantem, orationis auidum, & cunctis alijs exemplar præclarissimum, legisq; diuinæ prędicatorem. Vnde recte per prophetam Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quoniã angelus domini exercituum est: sed & sacerdotibus antiquis pręcepi, vt ignis in altari nunquã deficeret, quem sacerdos nutrire deberet, suppositis lignis p singulos dies. Quid ignis ille significabat, filia? Nonne amorẽ Dei & proximi? Qui in altari, hoc est in corde, ardere semper debet: per sacerdotem suppositis lignis idest mysterijs sanctis rite ruminatis, nutriẽdus. Quãquàm enim omnes mortales Deum colere teneãtur: quosdam tamen mihi à primordio seculi

Mala.2.

Leui.6.

li familiares, quosdã familiariores, alios vero familiarissimos habui. Vnde inter
Gene.4. filios Adam Abel mihi placuit. Inter filios Noe, Sem sacerdos extitit. Inter fi-
Gene.21. lios Abraã, Isaac elegi. Inter filios Isaac,
Gen.27. Iacob animo meo arrisit. Inter filios Ia-
Gen.41. cob, Ioseph mihi gratissimus fuit. Sed & ex vniuerso hominum genere, ad filios Israel animum adieci, eosq; peculiarissi-
Deut.7. me amaui, vnde per Moysen dixi illis. Te elegit dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: & custodias præcepta illius: & faciet te excelsiorem cũctis populis quos creauit in laudem, & gloriam suã: vt sis populus sanctus domini Dei tui. Porro inter hos quoque quosdam mihi familiariores subelegi, qui conspectui meo astarent iugiter, & solum ijs, quæ ad cultum meum perti-
Nume.3. nerent, incumberent. Hi fuere leuitæ. Et in his quoq; alij alijs gratiores mihi extitere. Nam alij Gersonitæ dicebantur: Alij Mararitæ: alij Caathitæ. Anima.

Obse

Obſecro, domine, qui erant Gerſonitæ? Ieſus. Hi in profectione caſtrorum cortinas, tectum tabernaculi, vela, & queq; tactu mollia portabant: & in erectione caſtrorum ad occidentem poſt tabernacula caſtrametabantur. Anima. Sed, bone Ieſu, Meraritæ autem qui erant? Ieſ. Meraritæ, filia, tabulas tabernaculi, columnas, vectes, & alia quæque duriora portabant, quæ inter cortinas, & ſanctuarium media erant. Qui in erectione ſanctuarij, non poſt ipſum, ſed ex latere ad aquilonem locū manſionis ſortiebantur. Anima. At qui Caathitæ, dulcis Ieſu? Ieſus. Hi ipſum ſanctuarium portabant. Ideſt arcam, altare, & menſam propoſitionis, cum vaſis ſuis inuoluta tamen, & cooperta. De familia hac ſacerdotes deſcenderunt, qui ſanctuarium reuelatum videre & con tractare ex officio debebant, & leuitis portandum diſponere, ſingulis prout eis congruebat: ipſi autem ab omni onere vacabant: in erectione vero taber-

naculi

Gerſonitæ.

Meraritæ.

Caathitæ.

Sacerdotes.

naculi ante eum ad oriētem excubabāt. Porro autem quemadmodū olim inter omnes populorum nationes, filij Iſraël in veri Dei cultu claruerunt, eoſq; ſingulari beneuolentiæ meę nota inſigniui, ita nunc populum Christianū, ex omnibus gentibus, mihi aſſumpſi, & innumerabilibus, clariſsimiſq; muneribus à cæteris ſeparaui. Propter quod mihi gratias agēs

Ephe. 1. Apoſtolus meus Paulus dicebat, Benedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti qui benedixit nos in omni bene nedictiōe ſpirituali in cœleſtib9 in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mūdi cōſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædiſtinauit nos in adoptionem filiorū per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuę, in laudē gloriæ gratię ſuæ. Rurſum vt in veteri teſtamento ex electo populo ſubelegi mihi filios Leui, qui miniſterijs tabernaculi deſeruirent (quos poſtea inſtituit Rex Dauid, vt ſtarent mane ad canendum, &

con

confitēdum domino similiter quoq; ad vesperam)sic in testamento nouo ex populo Christiano subeligi clericos, & sacerdotes, vt mihi specialiter seruiant, laudibusq; meis, atq; virtutibus decātandis, enarrandisq; iugiter assistunt. Et queadmodum filij Leui certis temporibus, & horis laudibus diuinis deuotius insistebant, ita & clerici facere debent. Nā clerici à sorte dicti sunt, eo ꝙ sunt de sorte domini, ipsum pro sorte sua, & hęreditate cum filijs Leui in perpetuum possessuri, dum modo hic debito cultu, & digna laudatione ei inseruiant. Ani. Quęso, domine, quando de famulis tuis facta est mētio, quid de religiosis iudicas? Ies. Placet, filia, interrogatio. Nā inter hos quoque alij alijs & vitę sanctitate, & meritorum cumulo sunt superiores. Nam quidam Gersonitę dici possunt, quidam Mераritę, alij vero Caathitę, de quibus supra habuimus sermonem. Nempe Gersonitæ (vt diximus) in profectione castrorū cortinas, tectū tabernaculi, vela: & queq;

tactu

tactu mollia portabant. Et in erectionẽ castrorum, ad occidẽtem post tabernacula castrametabantur. Porro autem tabernaculum, vita mea est meorũq; morum conuersatio, quam nemo in hac vita valet imitando portare. Ego enim non ad mensuram spiritum accepi sanctitatis, & sapientiæ, sed omnium plenitudinem spiritualium, de qua cęteri omnes acceperunt: vnusquisque secundum propriam donationem. Huius autem tabernaculi & vela, cæteraque tactu molliora portant, qui ad religionis statum vocati ardua, atque austera sanctitatis studia fugientes, leuia assumunt: & vitam laxam, corporisque commoditates inquirunt, sine offensa tamen: quorum saluti sufficit, si a peccatis mortalibus se custodiant. Cæterum horum vita periculosa est, quia vt bene dixit seruus meus Gregorius: illi soli in illicita non cadunt, qui se etiam à licitis restringũt. Hi autem, vt religiosi videantur, in exterioribus obseruãtijs, & cæremonijs si-

bi plurimũ placere ſolent. Vñ bene Gerſonitæ, ideſt aduenę appellãtur. Nam ad modũ aduenarũ, parũ de ſecretis ciuiũ, amicorũq; Dei intelligunt, ſed extrema tabernaculi portãt tectũ, cortinas, & funiculos, quia qui nũc primũ religionem ingrediũtur exteriora tantũ magni æſtimant, quandiu potiora virtutum ſtudia ignorant. In erectione autem tabernaculi ad occidentem poſt tabernaculum caſtrametabantur, quia qui hic extrema in virtutum exercitijs, ſcrutari contenti ſunt, in futuro cum poſtremis, & quaſi in occaſu ſolis in humiliori gloriæ ſplendore collocabuntur. Porro Meraritħæ interpretantur àmari, qui tabulas tabernaculi, colũnas, vectes, & alia quæque duriora portabant, quæ inter cortinas, & ſanctuarium media erant. In quibus religioſi illi figurabantur, qui quodammodo religionis Chriſtianę perfectionem in corporalium rerum exercitio collocant, ieiunia maximi æſtimant, prolixiores vigilias om-

nibus

nibus rebus anteponũt, duris verberibus ſe excarnificant, longas difficileſq; peregrinationes, ſanctitatem appellant ciliciũ, & nudis pedibus incedere, cæteraſq; corporis afflictiões in bonis collocãt: & quicquid auſteritatem ſonat, amant, laudant, & nuſquàm non prædicant Maximarum virtutum expertes, dulciſsimiq; iugi & oneris leuiſsimi, quod ego chariſſimis meis impono parũ experti. Hi filia atergo me portant, nec præſentiæ meæ
1.Reg.6. lætitiam iucundiſsimam raro ſenſerunt: qui vaccis illis, quæ arcam meã in veteri teſtamento portabant bene aſsimilari poſſunt: gemendo enim, ac mugiẽdo onus portabant, ſed quod in arca latebat, prorſus ignorabant. Sic hi quoq; arcam meam (nimirum grauiſsimum pœnitentiæ pondus) humeris geſtant: cæterum quod in arca erat, nempe manna cœleſte, ideſt, dulciſsimos ſpiritus fructus, parum deguſtant. Qui quoniam ſicci in ſe, aridiq; ſunt recte amari, ſiue amaricãtes vocantur. Et quia medium inter extremũ

mũ,& optimum in ſtudio virtutum ſtatum habuerunt,in erectione tabernaculi,non poſt ipſum, ſed ex latere ad aquilonem manſionis locum ſortiuntur:vbi minor calor ſolis, & lux,quàm in auſtrali parte ſentitur: vt quanto hic minores fuere in ſtudio virtutũ,tanto minus ſplẽdeſcant gloriæ ſplẽdore,& fruitionis ardore in æterna beatitudine. Caathitę(vt dictum eſt) ſanctuariũ ipſum portabãt, arcam & altare, menſam propoſitionis, cum vaſis, quę ſuper eam erant,inuoluta tamen,& cooperta. Hi ſunt maximi virtutum ſectatores, maximoſq; religioſos figurabant,qui hominem interiorem(in quo ego per fidem quæ per charitatẽ operatur habito) virtutum inſignijs heroicis ornant vitia extirpant, humilitatem,manſuetudinem,caſtitatem, charitatemq; tanquàm flores fragantiſsimos, animo ſuo imprimunt, eo ſanctitatis vẽtum eſt, vt dij habeant.Quę virtutes ſanctuarium appellari poſſunt:& qui eas habet maxime ſanctus:vnde Caathitæ pa-

tientes interpretantur, ſeu componẽtes. Per patientiam ſubeũdi martyrij, & dolorum tollerãtiam, ſuiq; ipſius ſupremã compoſitionẽ, me ſequũtur: & amicos, & inimicos vehemẽtiſsimo amore amplectũtur. Ani. Quàm mihi hæc placẽt, animoq; meo incredibiliter ſatisfaciũt. Cæterum cur, bone Ieſu, duabus familijs prioribus plauſtra dari iuſsiſti, hi autẽ qui ſanctuario deſeruiunt, onera ſuis humeris portant? Ieſus. Pulchra quæſtio, & digna reſponſione. In humanis traditionibus, corporiſque caſtigationibus remiſsio, vel etiam intermiſsio conceditur, imo iubetur. Vnde recte Apoſtolus meus Paulus admonebat dicẽs, ſit obſequium veſtrum rationabile. At in virtutum ſtudio, nulla datur remiſsio: Nam nunquã aut elatio, aut impatientia, aut crudelitas ſiue luxuria permittitur. Anima. Arridet, domine, ſolutio. Sed nunquid non portare altare, arcam & menſam cum vaſis, durum erat: quid igitur differunt qui his inſeruiebant, à

Rom. 12.

Me

Mereritis, qui omnia duriora onera baiulant? Iesus. Pulchra dubitatio filia: sed audi respõsionem: Onera Caathitarum dura erant, sed preciosa, sed sancta & situ interiora: Meraritarum vero, exteriora, & minus sancta: sic, filia, spiritualium virorum studia (qui in Caathitis significantur) laboriosa sunt, sed nobilia, honestatis dignitate, & sancta spiritus viuificatione. Sanctificant enim interiorẽ hominem, & animam mihi gratiosam reddunt. Minus vero spiritualium, qui sanctimoniam, austeritatem nominant, quiq; figurãtur in Meraritis, minus meritoria sunt, mihi non adeo grata, quoniam exterior exercitatio (vt bene inquit Apostolus meus Paulus) ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia valet. Anima. Dulcis Iesu, cur ea velata portabant? Quid hoc significabat? Iesus. Dicam filia. Nam lux iustorum æternę luci comparata, tenebræ potius dicenda est, quàm lux. Nec in hac peregrinatione, in qua per fidem fit pro- 1.Tim.4.

greſsio,apparet virtutū decor, animęq; ac ſpiritus,vt in ſe eſt,pulchritudo:ideoq; velut nubibus quibuſdam tegūtur, ne dignitate,atq; ſplendorę earū patefacto, ſuperbiæ ruinam præbeant.Sed vt redeamus,vnde digreſsi ſumus (de ſacerdotibus enim nobis ſermo erat) de Caathitis ſacerdotes deſcendebāt, qui ſanctuarium reuelatum & videre,& cōtractare ex officio debebant; & leuitis portandū diſponere,prout ſingulis cōgruebat, ipſi vero nihil portabāt, ſed ab oneribus expediti ante tabernaculū in eius erectione ad orientem excubabant. Porro autē vt per Caathitas virtutum amatores, ita per ſacerdotes contemplatiui figurabātur.Soli enim virtutibus dediti, ad contemplationis gratiam proficiūt, qui pro remuneratione ſtudij ſpiritualis,vnctionem ſancti ſpiritus intus accipiunt, qua illuminati,ſecreta cœleſtia,quæ alijs velata ſunt,ipſi clarius vident, quiq; iam in ſtudio virtutum non laborant, quod per immunitatem ab oneribus,in ſacerdoti-

bus

bus ſignificabatur. Nam internæ ſapientiæ dulcedine præuenti, labor verſus eſt in delectationem ex amore conditoris: ipſi vero diſponunt onera ſingulorum, quia quarūlibet obſeruantiarum rationes in vita religioſa cognoſcunt, quas quoniam rudes adhuc, atque imperfecti non capiunt, eas corporalibus actionibus, exterioribuſq; exercitijs inuoluunt, & cuiq; prout ſibi, ſtatuiq; ſuo conuenire cernunt, tradunt obſeruandas. Ecce nunc, filia, ſacerdotes quanta, virtum ſplendore fulgere debent. Iuſtum eſt enim, vt qui cæteros dignitate præcedunt & meritis, ſapiētia, atq; operum claritate emineant. Enimvero ſi olim cæcum, claudum, paruo, vel grandi & torto naſo, fracto pede vel manu: itē gibbū habentem, vel iugem ſcabiem, aut impetiginem in corpore, vel pōderoſum, aut denique quauis alia macula notatum, à ſacerdotio prohibui, neue panes Deo offerre pręſumerent, interdixi, quando & ſacrificia, & ſacerdotia, vmbra tãtum e-

rant futurorum:quanto magis nũc cum omni corporis, mentiſque mundicia, cum vniuerſa virtutum caterua, ad tantum ſacrificium accedendum eſt,in quo Deus ipſe conſecratur,offertur,& ſumitur. Anima. Obſecro domine, (ſcio enim, quòd olim omnia in figura contingebant) quid per cæcos, qui à ſacerdotio repellebantur, ſignificari volebas? Ieſus. Cæcos,filia, intelligebam, qui ſui præſtiti officij lumen ignorabant.Parum enim idoneus eſt celebrandis myſterijs, qui myſteriorum rationes intelligere non valet. Anima. Quid vero per claudos, bone Ieſu, intelligebas? Ieſus. Per claudos, filia, ſignificaui eos qui quo pergere debent, nequaquàm ignorant,ſed infirmitate mentis, vitæ viam perfecte tenere non valent, quam vident: quos pulchre Paulus apoſtolus meus adhortans, dicebat, Remiſſas manus, & diſſoluta genua erigite,& rectos greſſus facite pedibus veſtris, vt non claudicãs quis erret,magis

aūt sanetur. Ani. O quã bene? Sed qui in paruo, vel grandi & torto naso significabantur? Iesus. Paruo naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Vnde recte sponsæ meę in Canticis dicebam: Nasus tuus sicut turris, qui est in Libano. Grãdi & torto naso sunt, qui in quibusdã inquisitionibus plusquàm necesse est sese exercentes, ex nimia subtilitate fallũtur. Nasus quippe grandis & tortus est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plusquã decet excreuerit, actionis suę rectitudinẽ ipsa confundit. Anima. Pulchra expositio. Verum quid per homines fracto pede, vel manu intelligendum, dulcis Iesu? Iesus. Fracto pede vel manu, hi sunt, qui viam Dei peragere nullo modo valent. Et quoniam curiositas tua, filia, mihi admodum placet, cætera quoq; tibi exponam. Gibbolos etiam ad sacrificium meum non admittebam, per quos rerum terrenarum amatores intelligebam, quos sic terrenæ solicitudinis

pondus deprimit, vt nunq̃ mẽtem ad superna attollant. Hinc recte propheta dicebat, incuruatus ſum, & humiliatus vſq; quaq;. Lippus vero eſt, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat: ſed tamẽ hoc carnalia opera obſcurant: quamobrem pulchre per angelum dicitur, collirio inunge oculos tuos, vt videas. Albuginem autem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non ſinitur, quia arrogantia ſapientię, ſeu iuſtitiæ cęcatur. Iugem vero habet ſcubiem cui carnis petulãtia ſine ceſſatione dominatur. Impetiginem quoque habet in corpore, quiſquis auaritia vaſtatur in mente, quæ ſi in paruis nõ compeſcitur, nimirum ſine mẽſura dilatatur. Põderoſus vero eſt, qui turpitudinem non exercet in opere, ſed tamen ab hac cogitatione continua, ſine moderamine, grauatur in mente. Quemadmodum ergo olim cęci claudi, paruo, vel grãdi & torto naſo, fracto pede, vel manu, gibbi, lippi, itẽ albuginem in oculo habẽtes, perpetuóque ſcabioſi,

aut

aut pōderosi, vel impetigine notati indigni sacrificio, sacerdotioq; meo, existebāt, ita nunc spiritualia ignorantes, in vitia per infirmitatem labiles, & si nō viarum mearum ignorantes, indiscreti, nimium sapiētes, viciosi, terrenarū rerum amatores, arrogantes, luxuriosi, auari, & id genus alij, qui olim in prædictis figurabantur, altari meo nō sunt digni. Quippe vbi tam venerabilia mysteria geruntur, nō nisi homines similes angelis sunt admittēdi, quādo nec angeli quidem ad tantum sacramētum cōsecrandum existant idonei. Quis autem dubitat, simulac verba sacramētalia sacerdos pronunciauerit, cœlum aperiri, & humana simul cum diuinis misceri, angelicos choros interesse, mysterium admirari, venerari sacerdotem, & in tāti sacramēti inspectione iubilare, seq; inuicem ad diuinas laudes decantandas inuitare? Ani. O magnum mysterium, & venerabile sacramentum? O magna sacerdotum excellentia? Vere dignitas sublimis, & om-

ni

ni laude dignissima, angelis negata, & hominibus concessa. Angelus quippe ad tanti negotij aspectum tremit, & homo manibus tractat. Angelus cum ingẽti reuerentia assistit, & homo conficit. Angelus de tanto, tamq; venerando mysterio, omnipotentem laudat: & homo amplexatur, atq; demittit in stomachum. O magna, & admirabilis vis sacerdotum? Maria virgo genitrix tua semel te genuit, & peperit, dulcis Iesu: sacerdos vero indies verum corpus & sanguinẽ tuũ conficit, cæterisq; tradit. Iesus. Vt vero cognoscas filia, quantæ sit virtutis hoc sacramentum, nequaquàm dubites, quòd quandocunq; sacerdos celebat, trinitati gloriam adfert, angelicis spiritibus gaudium, vniuerso sanctorum cætui tripudiũ, animabus purgantibus refrigerium: deniq; vniuersæ ecclesiæ iuuamẽ, ac postremo animę suę ingentem meritorum gratiarumq; cumulum adducit. Atqui si
Gen. 4. a. olim sacrificiũ quod Abel obtulit Deo,
Gene. 8. d. gratissimum fuit: si post diluuium Noe

ſacrificium patri meo plurimum arriſit: ſi vaccns, atque columbas quas Abraam ſacrificauit, omnipotens cum indicibili gaudio acceptauit, ſi oblationes Iſaac, & Iacob patri meo tantopere placuerunt: ſi Aaron ſacrificãdo ſæpe Deũ placauit, & quod voluit, impetrauit: ſi boues, & arietes, & hirci, quos Dauid, & Salomon obtulerunt auctori omnium, gratiſsimi extiterunt: quinimo ſi calix aquæ frigidæ pro nomine meo oblatus, non perdit mercedem ſuam, quid futurum credas filia, vbi ſacerdos filium offert patri, ſibi in potentia, ſapiẽtia, atq; bonitate æqualem, tempore coęternum & eſſentia eũdem, pro hominibus hominem factum, flagellatum, conſputum, cruci affixum, ac mortuum? Nunquid pater ſpernet filium? Non ſpreuit adipem arietum, quem obtulit Abel, & filium contemnet pater, quem in hoc ſacramento offert ſacerdos? Non abiecit ſacrificia quæ ſacrificauit Noe, & ſpernet vnigeniti ſanguinem, quem ſacrificat ſacerdos?

Mat. 10. d.

Gen. 4. a.

Gene. 8. d.

dos? Non contempsit vaccas Abraam, & reijciet verum filij corpus, per sacerdotum manus oblatũ? Nequaquàm, nequaquàm pater cõtemnet filium, de quo toties testimonium perhibuit, dicẽs: Hic
Mat. 3. d. est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ani. Obsecro dulcis Iesu, edissere nobis, qui sunt fructus tãti sacramenti? Ies. Sacra Eucharistia peccata extinguit, fomitem mitigat, rerum terrenarum obliuionem adducit, iram pacat, inuidiam dilacerat, gulam temperat, luxuriam extinguit, superbiam deijcit, malitiam mitigat, pacem nutrit, humilitatẽ adducit, mansuetudinem generat, charitatem perficit, cognitionem Dei parit, innumerabilem numerum meritorũ secum adfert. Deniq; vniuersam vitiorum cateruam propellit, & quicquid est virtutis, quicquid boni in animam trasmittit. Et vt paucula tibi de hac re exempla depromam: Cassius Narniensis episcopus, cũ ex more quotidie sacrosanctum hoc mysteriũ corporis, & sanguinis mei

offerret, atq; celebraret, ei à me dictum est. Age quod agis: operare quod operaris: non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali apostolorum ad me venies, & retribuam tibi mercedē tuam. Qui post annos septem, ipso natalitio apostolorū die, cum missarum solennia celebrasset, mysteriaq; sacrę communionis accepisset, è corpore exiuit. Item Clara virgo, monasterio (in quo infirma iacebat) obsesso, intrepida cum sacra hostia, ante ianuam exiuit, nullisque alijs armis, hostes alios prostrauit, alios profugauit. Bernardus quoq; sacramēto hoc venerabili, ducem ferocissimum qui nullis ante monitis cesserat, velut ouem mansuetissimam reddidit. Nam hostia sacra ante illū adducta, eoque ne eam velut cæteros contēneret admonito, ter in conspectu eius, se in terram dedit. Dæmones quoq; idē sanctus eadem è corporibus expulit. Porro Gregorius pōtifex maximus triginta dierum sacrificio, monachi sui animam. à purgatorij cruciatibus liberauit. Ger-

manus

manus quoq; episcopus cuidã in balneo, post mortẽ pœnitentiam agenti, salutari hoc oblationis sacrificio opitulatus est. Malachias etiam episcopus sorori suæ in hac vita carnaliter viuẽti, eidẽq; defunctæ, atq; in magna necessitate cõstitutæ hoc pane sanctissimo succurrit. Tãta aũt est vis huius sãctissimi sacramẽti, vt mul ti sine eo nec valere quidẽ poterãt. Monialis quędã fœmina apud Holandos lecto decumbẽs, sola corporis, sanguinisq; mei participatiõe, sine vllo alio alimẽto totos nouẽdecim annos alacris vixit. Catharina de senis, aliquando inter missarũ solẽnia tota extra se posita, sensibusq; alienata, intra diuinitatis meæ abyssum est admissa, pascuis vberrimis, atq; angelorũ epulis iucundissimis gauisura. Quidam etiam angelorum ministerio (dum missę celebrationi intersunt) hoc celeberrimo corporis, & sanguinis mei sacramento pasti fuere, hostię particula inspe rato in ore eorũ inuẽta. Sed qd de innumerabilibus alijs miraculis dicã, quæ, vt huius

huius sacraméti veritas cõprobaretur, facta sunt? Gregorius oratione facta pané vertit in carnem visibilem, pro delendo mulieris infidelis errore. Alij puerum viderũt in hostia, quo fide magis solidaré-tur. Alij quia præsentiam meam in sacra Eucharistia senserũt, incredibiles iubilos, & gaudia spiritus ineffabilia degustarũt. Maria Magdalena obitũ suum hoc sacro pane muniri studuit. Quo Dionysiũ Areopagitam ipse meis manibus paui in carcere ad martyriũ iam iam iturũ. Quis ergo nũc post tot miraculorũ exhibitioné, tot testimoniorũ veritatem, de sacra Eucharistia dubitare audebit? Ani. Lapideus plane est, qui in re clarissima hæret: impius, qui nõ credit: sacrilegus, qui sacramentum hoc venerabile verbis nefandissimis polluit. Iesus. Sed audi, filia, vim huius sacramenti admirabilem, habet enim potestaté homines angelos faciendi: omniumq; spirituum cœlestium virtutes mortalibus conferendi. Anima. O res admirabilis? Quomodo fiet istud,

rogo

rogo, domine, ediſſere nobis, quę ratiõe hominem angelum conſtituit? Ieſus. Placet, filia. Angelorum enim officium eſt homines purgare, illuminare, atque inflammare: ſacramentum hoc purgat à peccato, mẽtis tenebras expellit, & animum diuino replet amore: vnde amatores ſuos cæteris purgandis, illuminandis, atq; inflãmãdis reddit idoneos, quod ad angelos pertinere diximus. Angelus nãq; nuntius dicitur: ſed & huius ſacramẽti auidus, atq; frequẽtator, nũtius efficitur ad annuntiandum pacem, ad annũtiandum bona. Ani. dixiſti quoque Euchariſtiam ſacram archangelos etiam faciẽdi habere poteſtatem. Obſecro dulcis, Ieſu, enarra nobis hoc etiam. Ieſ. Archangelorum officium eſt ſumma nuntiare: quod præſtat & hoc ſacramentum ſaluberrimum ijs, qui illud frequentant. At qui in rebus per tẽpus ortis nulla maior, quàm vt Deus fieret homo: hoc docet Euchariſtia: & non tãtum docet, ſed & cęteris quoq; annuntiari præcipit: nonne ergo ho

homines archãgelos reddit, ad quos per tinet maxima quæq; annũtiare? Anima. Egregie dictum: ſed, bone Ieſu, quonam pacto hoc potẽtiſsimo cibo, nos homũcioli virtutes efficimur? Ieſus. Dicam, filia, nam virtutes ſupercœleſtes miraculis præſunt, ſi quando fit terręmotus, aut ſolis retrogreſsio, aut infirmitatũ ſubita curatio, per virtutes hæc operor. Verum nunquid nõ miraculũ, dominari Superbiæ, Irę reſiſtere, Gulam ſuperare, Luxurię principari? Quod quidem hoc ſacramẽtum veneratione digniſsimum abũdantiſsime præſtat. Porro nonne omni miraculo maius pro iuſtitia, pro veritate, gladio iugulum porrigere? Corpus ignibus exponere? Contumelias, & opprobria cum gaudio tollerare? Et hoc quoq; panis hic ſaluberrimus amatoribus ſuis exhibet. Bene ergo dixi filia, Eucharistiam ſanctam, virtutes efficere homines, quando in exhibendis miraculis, virtutes imitantur. Anima. Placet, domine, quod dicis, ſed poteſtates, quo nã pa-

cto fiunt homines per hoc ſacramẽtum? Ieſ. Auſculta filia, dicam & hoc tibi quã libentiſsime. Poteſtates dęmonibus pręſunt: & ne aduerſus homines nimis ſæuiant, eos cohercent. Nũquid non & poteſtatem hanc ſacroſancta hoſtia prębet mortalibus? Omnia poſſum in eo, qui me confortat, inquit Paulus. Atqui ego ſub panis ſpeciebus lateo, & in os hominis ſtomachumque ingredior: deinceps cum eo habito: & mẽtem eius, corpuſq; fortifico. Quis ergo ei reſiſtere, aut nocere poterit? Aut quid nõ poſſet homo, quem ego inhabito? Porro ſi ego debello hoſtes meos, ſi dæmones cogo, & infernum confringo, quid ni & homo hoc poterit virtute mea, apud quem ego maneo, eiuſq; mentem, & corpus poſsideo? Bernardus ſi quando dęmones è corporibus expellere volebat, ſtatim ad corpus meum, ſanguinemq; ſacrũ confugiebat, & his armis omnibus dęmonibus fortior exiſtebat. Bene ergo dixi, filia, ſacramẽtum hoc admirabile poteſtatum quoq;

Phi. 4. c.

pote

potestatem hominibus largiri. Ani. Obsecro, domine, perge de reliquis quoque ordinibus nobis declarare. Principatus quomodo fiant homines, hoc saluberrimo cibo. Ies. Audi, filia, & hoc tibi libenter expediã. Principatus, Principibus, & Ducibus, Magistratibusq; populi dominãtur: proq; arbitrio suo, alios sublimãt, alios dignitatibus, atque honoribus suis priuant: hãc quoq; rem communio hæc salutaris suis frequentatoribus præstat, quãdo eos Ducibus, & Principibus pręficit, q velut Principatus cœlestes, alios dignitatum splendoribus ornant, cũ pro meritis eorum, eos approbant. Alios vero ab honoribus suis expellunt, quando pro sceleribus eorũ, ijs indignos eos iudicant, spiritualis enim homo, omnia discernit. Ani. Magna vis sacramenti, quę homines tot miseriarum millibus obnoxios, atq; confractos, etiam vsq; ad principatuũ supercœlestiũ dignitatem prouehit. Ies. Quin & dominationibus ipsis eos æquat. Ani. Quæso, domine, qui sic? Cor. 2. d.

Iesus. Dominationes, filia, ideo dicũtur quia dominatum meum, atque interminabile imperium subtilissime contemplantes, atque in illud diuinæ maiestatis pelagus sese recipientes, tanta pace, atq; securitate fruũtur, vt quiescẽtibus ipsis, tanquàm vere dominationibus ministrare, & militare videatur cætera multitudo. Nunquid non & hoc præstat hęc superamabilis Eucharistia, & pręstantissimus, dulcissimusq; cibus? Præstat certe. Nam ad maxima quæq; mentem pręparat: & postq̃ præparauerit, ad suauissimam diuinorum contemplationẽ trãsmittit: vbi tanto gaudio, tamq; incredibili omnium potentiarum tranquilliate quiescit, vt velut vere cæterorum domina, cunctis ipsa imperare, reliqui autem ipsi obedire videãtur. Recte ergo & dominationes dici possũnt, qui saluberrimo hoc, diuinoq; cibo vtuntur. Anima. O quàm mihi hæc placent, dulcis Iesu? Quis deinceps sacramẽtum hoc omnibus modis adorandum, non vel sæpissi-

me

me frequentabit, vbi tàm magnæ opes, tàmque preciosi thesauri comparantur? Cæterum dulcis amor animæ meæ, Iesu Christe, Nunquid non & ad superiores ordines hominem adducit? Iesus. Vtiq;, filia, Nam & Thronorum dignitatem ei largitur. Anima. O res admirabilis? Sed quonam pacto hoc contingit, magister bone? Iesus. Ausculta, filia, nã & si vbiq; sit Deus, tamen longe specialius Thronos tanquàm propriam sedem, sua illustrat præsentia: vnde velut de soléni auditorio, angelum docet & hominem. Inde angelis diuinorum notitia iudiciorũ, inde consiliorum archangelis: ibi virtutes audiunt quando, & vbi, & qualia exhibeãt signa. Ibi deniq; vniuersi, siue sint Potestates, siue Principatus, siue Dominationes, discunt quid ex officio facere debeant, quidue pro dignitate presumere. Et hæc est excellentia Thronorum, quam & homines quoq; à superexcellẽti hoc, suauissimoq; pane accipiũt. Nam & in eis tanq̃ proprijs sedibus post sum-

ptionem venerandam reſideo, & velut in templo quodam ſacro habitationem facio, vnde non tantum eos, omnem virtutum diſciplinã, ſed & reliquos quoq; ordinis inferioris, quid prudentia, quid iuſtitia, quid ſequẽdum, quidue fugiendum ſit, luculentiſsime inſtruo. Anima. O cibus omnibus ſeculis inauditus? O ſacramentum venerandum & ſupramodum deſiderabile? O hoſtia ſacroſancta & vigoroſa valde, quę homines miſeros etiam ſupra angelorum dignitatem conſtituis, & vſq; ad Thronos ſubleuas? Ieſus. Audi, filia, adhuc amplius, & admirationis, venerationiſque cauſas iuſtiores conſpicies. Nunquid deſinit virtus eius, aut hoc loco vires ſuas intra ſe contrahit? Nunquid non & maiora donat, & copioſius munificentiæ ſuæ ampliſſimæ viſcera explicat? Poteſt ne terra non dare fructus ſuos tempore oportuno? Aut ſol cõtinere radios ſuos valebit? Poteſt ne mater non lactare filios ſuos? Aut Pater nõ amare primogenitũ lum-

borum suorũ, aut quãtum valet locupletare? Sic ego, filia, qui sub hoc pane contineor, sum pater vester, sum amicus, sum frater, sum mater, sum sponsus. Et si sol continuerit radios suos, ego nõ. Et si terra fœcundissima frugum tempore arida fuerit, ego non. Et si mater obliuiscatur filij sui, ego non. Quos elegi, non possum non amare, & quibus valeo modis incredibiliter sublimare. Ego pro eis humanitatem indui, proprium sanguinem in pretium constitui. Et ne in via deficerent, me ipsum quoque eis in cibum suauissimum, potentissimumque dedi. Cibus hic non tantum mentis munditiam operatur, omnemque sanctitatem docet, sed & angelos, atque archangelos (vt dixi) efficit homines, Principatus quoq;, atque Virtutes eos ordinat. Et quod magis admirãdum est, vsq; ad Cherubin, Seraphicosq; spirit9 eos subleuat. Ani. Res admirãda, & omni acceptione dignissima, Cherubin hõ efficitur. Quis nõ admiretur hoc? Homo misellus, mille

miſeriarũ generibus coopertus, puluis, & cinis, innumeris peccatorum maculis reſperſus, terribilibus, atq; denſiſsimis tenebris obtenebratus, accedit ad altare lachrymans, corpus tuum verum, ſanguinemq; ſanctiſsimum, dulciſsime Ieſu, recipit, & ecce ſubito recedunt tenebrę, lauantur peccata, gemitus abiguntur, triſtitia aufugit, ſuccedit lætitia, ſuccreſcũt iucundiſsimæ gratiarum actiones, oriũtur virtutes venerandę, corda illuminantur, cum angelis commiſcetur homo, ſed & archangelorum excellentias, & Thronorum dignitates tranſcẽdit. Quis non ſtupebit hæc? Quis nõ amabit, laudabit, venerabitur, amplexabitur, tantæ virtutis ſacramentum non adorabit? Sed obſecro, domine, quoniã Cherubin faciendi, dixiſti cibum hunc ſaluberrimum habere poteſtatẽ, dic nobis, quomodo hoc fiat? Ieſus. Libenter, filia, attẽde. Cherubin a ſcientię plenitudine nomen habẽt: ſed nunquid non in me ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi? Col. 2. r.



Porro

Porrò nõne ego sub panis speciebus lateo, & in os ingredior, stomachum possideo, animamq; erudio sapientia? Vnde ergo doctoribus tam admirabilis sciẽtia, & sacris scriptorib9 eruditio multiplex? Num secum creuit sapientia, aut prudẽtiã à se ipsis acceperũt? Nõne magis à sacramẽto hoc omni amore, veneratiõeq; dignissimo eã petierũt, eiq; gratias agere debẽt immortales? Si ergo ad omnem scientię plenitudinem mitti, cur nõ Cherubin facere dicetur, quę plenitudo sciẽtiæ nũcupantur? Ani. O quàm bene dictum: cæterum ad Seraphicos quoq; spiritus cibum hũc sanctissimũ prouehere (si recte memini) dixisti, quęso, domine, enarra hoc etiam. Iesus. Quid enarrem? Nam hoc sacramentum pro hominũ salute institui: volo etiam virtutes eius palam fieri, quo magis ab omnibus diligatur, veneretur, atq; amplexetur. Amatores enim eius diligo vehementissime: & in regno meo inter primos colloco. Seraphin filia ardens dicitur. Hi autem, spiritus

ritus coniunctiſsime mihi adhæret, eoq; magis dilectionis meæ flamma vruntur, quo de inexhauſtæ ſapiẽtiæ fonte, propius, pleniuſq; hauriunt. Nam inter me, & ipſos nullum medium habetur. Atqui & hoc dabit ſacra Euchariſtia. Nimirum cum bona gratia dicatur, omniſque gratiæ, virtutiſq; authorem cõplectatur, animęq; & corpori quàm coniunctiſsime hæreat, quid ni mentem inflammet, oſſa etiam ipſa, ſuauiſsimo igne ſuo aduret, & homines Seraphin quoq; efficiat plenos gratia, & ſapientia? Enimuero quid martyrij palmam deſiderare facit? Nonne cibus hic venerabilis? Quid infinita magnorum ſpirituum tela expectare, atque deuincere? Nonne Euchariſtia ſacra? Quid hominum peruerſorum cõtumelias, atque inſidias pati, nõne ſacramentum hoc omnibus ſeculis venerabile? Quid denique mortem ipſam cum gaudio deſiderare, nõne hoſtia ſancta? Quid omnia mala lętum ſuſcipere, nonne precioſi corporis manducatio, ſanguiniſq; mei

mei sacri potatio? Sed quis ad tam grandia potens, quisue tantis malis tollerandis idoneus, nisi qui potentissima amoris mei flamma adustus fuerit, & Seraphico prorsus spiritus repletur? Nũquid non ergo bene dixi sacramento hoc venerabili, Seraphin quoq; homines effici? Anima. O vis admirabilis, & stupenda nimis, quæ omnium spirituũ cœlestium virtutes in homines trãffert? Quid reliquum est, nisi vt Deos efficiat? Iesus. Sed & illud quoque facit. Etenim nonne per prophetam dixi: Dij estis: & filij excelsi omnes? Porro qui Deo vnitur (quod q- Psal.81.b.
dem in huius saluberrimi sacramẽti participatione contingit) vnus spiritus cum eo efficitur. Anima. Pulchre tu quidem, dulcissime Iesu, de Eucharistiæ sacrosanctę virtutibus es locutus, cęterũ quę, obsecro, requirũtur, vt qs digne ad eã accedat? Ies. Mundicia decet hoc sacramentũ mẽtis, & corporis, laui enim prius pedes discipulorũ meorum, postea corporis, & sanguinis mei p̃ciosissimi eos participes

red

reddidi. Olim quoq; ſanctificari iuſsi ſacerdotes, antequã ad montem accederent. Anima. Quanta autem mũdicia eſt neceſsaria? Ieſus. Solum, filia, ne peccati mortalis lepra tũc regnet in anima. Ani. Eſt ne etiam neceſſaria deuotio? Ieſus. Nequaquàm, expedit quidem, ſed nõ eſt neceſſaria. Nam hæc in nullius eſt poteſtate. Ego autem eam tribuo, cui volo, & quando pro animi mei arbitrio, vt cuiq; expedire aduerto, ſi huius ſuauiſsimi ſacramenti afficieris deſiderio, nec peccatum mortale obſtiterit, accede confidẽter, atque intrepide. Ego enim ſum dñs Deus tuus, potens deſiderio tuo pro animi tui voluntate, abundantiſsime ſatiſfacere. Et quiſquis hoc ſtatu conſtitutus, celebrare myſterium hoc ſacroſanctum omiſerit, multorum reus efficietur. Nam ſanctiſsimam trinitatem gloria priuabit: angelicis ſpiritibus gaudium denegabit: animabus purgantibus refrigerium tollet: & poſtremo vniuerſæ eccleſiæ, animęq; ſuæ ſubſidium, lætitiam, & meritũ.

Ani

Anima. Quæso, domine, describe nobis formulã aliquam meditationis, per quã animus incalescat, & maiori sacrosancti corporis tui desiderio afficiatur, antequã ad mensam tuam mysteriorumq; celebrationem accedat. Iesus. Faciam, filia, libétissime. Enimuero quemadmodum ad cibum corporalem cum fame accedẽdum est, id ipsum, filia, & hic requiritur permaxime: iuxta illud matris meæ sanctissimę dictũ, Esuriẽtes impleuit bonis, Luc.1.c. & diuites dimisit inanes. Illudq; archãgeli ad Danielem prophetam: Venio tibi aperire, quæ ventura sunt, quoniam Dan.9.f. vir desideriorum tu es. Opus est ergo in hoc saluberrimo cibo, magno desiderio, Ad quod excitandũ operæpretium est ante celebrationem meditari aliqua, quę huic mouendo sunt efficacia. Primũ ergo omnium, breuibus reducito ante mẽtis oculos parentum primorum statum, quantis priuilegiorum prerogatiuis gaudebant: quo pacto mundus vniuersus eis inseruiebat: cum angelis miscebantur: &

me-

mecũ crebra colloquia dulcissimaq; habebãt. Post peccatum autem quomodo expulsi fuerũt è paradiso, mille miseriarum generibus obnoxij, morti tẽporali, ęternęq; addicti, lumine interiori priuati, in bonis naturæ saucij, angelis odiosi, & omnipotenti Deo infensi. Post peccati aũt fletum, quonam pacto in gratiam redierũt: Reuelatione vero habita de redẽptore in eo omnẽ spem suam collocauerunt, cumque cum magno gaudio expectare, alijsque prædicare cœperunt. Et quanto magis redemptionis tẽpora appropinquabant, tanto maiori de aduentu meo cognitione humines illustrabãtur, maioribusq; votis, atq; postulationibus me desiderabant, atque flagitabant: cõsideret ergo hic missam cælebraturus aut corpus, sanguinemq; meum recepturus, si adeo me desiderabant prophetæ anteq̃ venissem, quãto magis desiderari debeo, postq̃ iam veni, & genus humanũ passiõe mea acerbissima redemi. Et nũc iterũ singulisq; diebus venio, vt ipsũ pro

prio

prio corpore,ſanguineq; paſcã, nutriam atq; lætificem, ac mecum amore iucundiſsimo,efficaciſsimoq; vniã. In hoc dilatet deſiderium ſuum,quantum potuerit. Deinde progrediatur vlterius, contempleturq; quonã modo poſt longã patrũ expectationem,tãdem in mũdum venerim.Hic conſideret matris meæ lętitiam ex archãgeli collocutiõe:ineffabilẽ exultationẽ ex mea pręſentia, in cõceptione inenarrabile gaudium,in Eliſabet viſitatione ponat ante oculos, Ioannis in vtero iubilationem, matriſq; eius propheticam locutionem. Contempletur Ioſeph lætitiã poſt angeli teſtificationem. Item angelorũ in ſtabulo adorationem atq; ad paſtores euangelizationem. Videat quoq; paſtorum ad me iucundiſsimum aduentum, & regum aduentantium fidem:Simeonis etiam lætitiam in templo: Matris gaudium, poſt meam recuperationem. Quæ omnia potentiſſima ſunt ad excitandum deſiderium, mouendumq; affectum. Contempletur

Luc.1.c.

Luc.1.d.

Luc.2.b.

Luc.2.d.

quoq;

quoq; quanta de me fuerint testimonia. Pater, ac Spiritussanctus hoc clamabant
Ioan.1.d. in Iordane: Ioannes vociferabatur: Ecce agnus Dei: Angeli in natiuitate, in deserta ad Marias post resurrectionem, hoc te
Mat.17.a. stabãtur: Moyses quoq; & Helias in mõte Thabor. Pueri Hebręorũ, osanna, clamabãt, Benedictus qui venit in nomine domini: venti, ac mare mihi obediebant: terra tremuit in mea passione: lapides scissi sunt: sepulchra quoq; aperta: Paradisus terrestris, vnde Helias prodijt, etiã mihi fuit testis. Nec nõ & Limbus, vnde Moyses, cęteriq; exierũt: Infernus quoq; vbi Lucifer, meo mandato per angelum fuit religatus: cœlum etiam quod meo ascensu aperui, meosq; in illud introduxi. Testes quoq; mihi fuere Apostoli, atq; Martyres, qui pro nominis mei confessione cum gaudio sanguiné suum fuderunt. Ecce filia, in his testimonijs dilatabitur affectus tuus in fide, spe, & charitate, multoque desiderio, in sacrosancto sacramento corporis, & sanguinis mei

mihi

mihi vniendi, afficieris. Post hæc pensabis cum quanto vtriusque fletu vale dixi matri meæ ad passionem iturus: quãtaq; cum charitate, cœnam vltimã celebraui cum discipulis, meiq; corporis, & sanguinis sacramentum institui, cõcionem dulcissimam ad eos habui. Et cùm vnica sanguinis mei gutta multos mundos redimere potuissem, tamen multoties sanguinem meum fudi: quippe in horto; ad columnam inter verbera, in coronatione, in crucifixione, & tandem ex latere. Nec quicquàm sanguinis reliqui remãsit in corpore, quo magis liberalitas mea, animiq; promptitudo erga omnes, singulosque propalaretur. Et pro tãti amoris memoria redintegranda sub speciebus panis, viniq; rursum venio, vt te mecum vniam, & innumeris beneficijs locupletem. Ex harum rerum cõtemplatione, nunc dilatare, filia, interius, quantum vales: & cogita tecum quantus sit is, qui te visitare venit. Nimirum potẽtissimus & tu infirmissima: sapientissimus ille, &

F tu

tu densessimis ignorantiæ tenebris co-
operta: ipse optimus, & tu pessima in-
numerisque peccatorum spinis confe-
cta. Nunc iudica te quantum potes indi-
gnam tanto hospite. Post paululum au-
tem cõsidera, quòd is est qui te proprio
sanguine redemerit: & non tuis meritis,
sed sola clementia sua: nunc ad te venit,
inuitando, & blandiendo (vt pote salu-
tis tuæ sitientissimus clamitans: venite
Mat.11.d. ad me omnes, qui laboratis, & onerati
estis, & ego reficiam vos: potentissimus,
vt te in amore suo fortificet, sapientissi-
mus, vt te illuminet: optimus vt cõmissa
tua tibi indulgeat. Ergo in tantæ bonita-
tis cõsideratione, eleuare filia, nouamq;
spem resume, & suscipe sponsum tuum
dulcissimum. Et in mente tua, antequàm
ad altare accedas, suauissime eum ample
ctere, offerq; illum patri suo, omnipotẽ-
ti Deo tecum, pro honore totius Trini-
tatis, & omnium sanctorum gloria, proq;
salute animæ tuæ, & cæterorum fideli-
um viuentium, & defunctorum. Preces
quoq;

quoq; ei offerre secundum desiderium animæ tuæ, non negligas: sic cum magna reuerentia, ac deuotione ad altare, mensamq; domini accede. Ecce filia, formulam meditationis ante corporis, sanguinisq; mei sumptionem: quę si longior tibi videatur, quoniam tempus non suppetit, diuide eam pro animi tui desiderio. Anima. O quàm pulchra, suauis, & elegans: dignaq; prorsus quæ diebus singnlis attentissime memoretur. Sed bone Iesu, quid agendū post sumptionem tàm venerabilis, suauisque sacramenti. Iesus. Gratiæ filia, sunt reddendæ pro tam grādi beneficio. Anima. Et quomodo agi debēt, dulcis Iesu? Da obsecro & de hac re gratiarum actionum formulam. Iesus. Libenter filia. Dic in mēte tua (cum mora tamē, & lente, vt ex meditatione, velut ex vberibus quibusdam lac dulcissimum exprimas) Pater sancte, gratias tibi ago, quòd inter cætera beneficia creationis, redemptionis, iustificationis, innumerabiliumq; aliorum, me hactenus in

columen seruaueris, vt dulcissimo, suauissimoq; corporis filij tui, & sanguinis sacramento animam meam pasceres, fortificares, atq; eandem densissimis peccatorum tenebris offuscatam illuminares, pacificares, ac lætificares. Nec satis tibi erat, mihi vnigenitum tuum dare in pretium, & præmium, sed in sacrificiũ quoque quotidianum saluberrimum, tibiq; gratissimũ, quo omnia peccata mea delerentur, & in escam suauissimam, maximeque salutarem, qua & fides mea augeretur, & spes fortificaretur, charitas quoque nutriretur, atque perficeretur, cæteręq; virtutes augustiores fierent, mihi eum tradere voluisti. Quamobrem tibi immortales gratias ago: & rogo, vt famulum tuũ quotidie magis, ac magis mundifices, atque tanto beneficio dignũ efficias. Tibi quoq;, dulcissime Iesu, ingẽtes gratias ago, quòd animi mei desiderium expleueris, quodq; tua dulcissima,
Col.2.r. iucũdissimaq; præsentia omnia interiora mea lætificaueris, tradens te mihi in

sa

ſacrificium patri tuo acceptiſsimum,cũ-
ctiſque fidelibus viuis, & defunctis ſa-
luberrimum. Rogo ergo te, dulciſsime
Ieſu,per ſacram amabilemq; paſsionem
tuam, perque ſacroſanctum corporis &
ſanguinis tui ſacramentum, vt ſemper
mecum ſis in corde,ſemper in ore, ſem-
per in opere: delectationibuſq; tuis om-
ni melle dulcioribus,fructibuſq; Eucha-
riſtiæ ſanctæ ſic mẽtem meam inebries,
vt ſpretis omnibus mundi huius delicijs,
te ſolum dulciſsimum ſponſum meum
diligam,laudem,atque adorem in ſecula
ſeculorum.Amen.

Laus Deo.

De MANDATO ADMODVM
Reuerendi Domini nostri Inquisitoris
Barcinoñ. facto examine sub-
scripsit Iubinus Eps.

* * *




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm